



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio VII. Proponuntur, & dissolvuntur argumenta contraria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

antecedens nostram iustitiam, & gratiam.

132. Hanc eandem doctrinam tradunt Sancti Patres D. Aug. lib. de Prædest. Sanct. cap. 1. *Dei gratia*, ait, omnino nulla est, si secundum merita nostra datur. Et cap. 3. *Quæ utiq; non est gratia, si eam nulla merita præcedunt.* Et lib. 2. de Peccat. Orig. cap. 2. 4. *Non enim Dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.* Idem habet lib. de Nat. & Grat. cap. 4. & serm. 15. de verb. Apostol. cap. 2. & serm. 14. de Verb. Domin. cap. 4. & contr. 2. Epist. Pelagianor. cap. 8. & 11. & lib. 4. contr. Julian. cap. 3. & epist. 105. & sæpè alibi D. Prosper. Epist. ad Aug. de errore Semipelagianorum: *Ad consistendam, ait, eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, nè, si meritis reddatur, frustra gratia nominetur.* Idem habet ad Excepta Genuenl. ad dub. 3. & cap. 8. contr. Collatorem, & lib. de Ingratis cap. 19. Et D. Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. cap. 18. post medium: *Paulus non ideo est adiutus Dei gratia, quia credere voluit, sed ut credere vellet, donum gratia præveniens accepit.* Et infra sine: *Re verà, ut velimus, misericordie præveniens illuminamur dono, & ut curramus, misericordia subsequens fulcimur auxilio;* ergo humanum meritum nulla ratione antevertit gratiam Dei supernaturalem, quæ est proprium objectum liberalis, & gratuita donationis Dei; ergo &c.

132. Probatur octavo rationibus: Prima est, quia natura non potest modo saluari velle quidpiam supernaturale sine auxilio gratia, ut patet ex supra dictis, & ex Concil. Araul. 2. can. 5. Concil. Mogunt. cap. 5. D. Aug. lib. de correct. & grat. cap. 1. *Desiderare auxilium gratia, ait, initium est gratia.* ex D. Prosper. lib. 2. de Vocat. gent. cap. 8. & cap. 8. contr. Collatorem, & lib. de Ingratis cap. 19. *Bene velle, inquit, gratia dat; sed posset procul dubio, si affectus salutis, & gratia supernaturalis, meritorius de congruo viribus naturæ eliceretur; siquidem affectus meritorius de congruo nobis salutarius est, ut est salutis dispositio supernaturalis ad justificationem ratione talis meriti, ergo &c.*

133. Secunda ratio est, quia eadem opera, quæ elicitur à peccatore sunt meritoria de congruo, elicitur à iusto, sunt meritoria de condigno; sed homo iustus per opera suis viribus naturalibus elicitur, & absque ullo auxilio gratia actualis, non potest mereri de condigno gloriam, aut aliquid supernaturale, ut patet ex supra dictis d. 2. à num. 310. & à num. 408. ergo neque peccator sic poterit mereri de congruo per opera ab eo elicitur sine ullo gratia auxilio.

134. Tertia ratio est, quia exaltatio gratiosa Humanitatis Christi Domini ad Unionem Hypostaticam, ponitur ut exemplar gratuite largitionis gratia, ut videre est apud D. Aug. lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. & lib. de Bono persever. cap. ult. & lib. de Correct. & grat. cap. 11. D. Fulgent. lib. de Incarn. & grat. cap. 19. & 20. Sed in Christi Humanitate nulla præcesserunt merita, quæ Deum moverent ad uniendum hypostaticè ipsam Humanitatem cum Verbo; ergo ex parte hominum nulla præcedunt merita ad illis tribuendum gratiam auxiliantem.

135. Quarta ratio est, quia Sancti Patres quoties incidunt in præmium operum naturalium, illud referunt in bona temporalia hujus vitæ, & non in supernaturalia, quasi innuant, eorum meritum non transilire limites remunerationis temporalis, ut videre est apud D. Prosper. lib. 1. de Vocat. gent. cap. 2. & 7. & Epigram. 81. & lib. de Ingratis cap. 39. & 41. & alios; ergo sphaera merendi per actus naturales ad sola commoda præsentis vitæ extenditur; ac

proinde sub illa non possunt includi dona supernaturalia.

Quinta ratio est à priori, quia opus secundum se meritorium de congruo, potest, accedente gratia justificante, fieri meritorium de condigno; sed opus viribus naturæ elicitur, etiam accedente gratia justificante, non potest fieri meritorium de condigno; siquidem nullo ordine transcendenti connecti potest cum dono supernaturali, ut patet ex supra dictis d. 2. à num. 408. ergo eadem ratio neque poterit esse meritorium de congruo. Confirmatur, quia inter opus meritorium, & præmium necessaria est aliqua transcendens connectio, ratione cuius utrumque ad eundem ordinem pertineat, & intuitus operis habeat ex se movere ad donum, quo obsequium compensatur; sed hæc connectio repugnat operi naturali cum dono intrinsece supernaturali; ergo etiam ratio meriti de congruo,

SECTIO VII.

Proponuntur, & dissolvuntur argumenta contraria.

QUOD PROPOSITUM tenent Durand. in 1. dist. 41. q. 2. & in 2. dist. 28. q. 5. n. 7. & dist. 4. quæst. 3. num. 7. & in 3. dist. 29. quæst. 2. & in 4. dist. 17. quæst. 2. Gabr. in 2. dist. 20. quæst. unica. art. 2. conclus. 1. & art. 3. dub. 1. & 2. & dist. 27. quæst. 1. art. 2. conclus. 4. & art. 3. dub. 4. & art. 5. & in 3. dist. 27. quæst. 1. art. 3. ad 2. proposit. 2. & in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. & quæst. 2. art. 3. dub. 3. citans pro se Ocham. Aliacens. & Scot. Almain. 2. Moral. cap. 9. & in 4. dist. 14. quæst. 2. Major. ibid. quæst. 1. §. Sed contra. Petr. Bergomens. in Concord. D. Thom. dub. 889. Javell. in 1. part. tract. de Prædest. cap. 5. Cajet. tomo Opuscul. 4. de Contrit. quæst. 1. Turcremat. d. 1. de Penitent. §. Hinc etiam, Camerac. lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 10. §. 2. Idem tenuit D. Thom. in 2. dist. 28. q. 1. art. 4. & dist. 27. quæst. 1. art. 4. ad 4. & dist. 5. q. 2. art. 1. corpor. & ad 1. & de verit. quæst. 24. art. 1. ad 2. & in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæst. ad 6. quæst. 3. corpor. & art. 2. quæst. 6. se tamen retractasse in 1. 2. quæst. 109. art. 6. testantur plures, licet P. Vafq. 1. part. d. 91. cap. 1. num. 63. Angelicum Doctorem liberet ab hac sententia in libris sententiar. Verius eidem sententiæ adhæsit Scot. in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. & in 2. quæst. unica, dist. 28. ut volunt Sor. P. Vafq. & Lorca. licet contrarium dicant Angles. Vega. Pro eadem sententia referuntur Adriam. quodlib. 7. art. 4. & in 4. quæst. 2. de Penit. Richard. in 2. dist. 28. art. 1. q. 2. quos tamen ab ea opinione vindicat Illustrissimus Mascarenas in rebus Fidei Inquisitor Generalis totius Lusitanie d. 1. de Auxiliis, part. 5. Tuentur denique quotquot aiunt, actus virtutum elicitos solis viribus naturæ possivè, ac sufficienter disponere hominem ad gratiam justificantem, sicque eam mereri de congruo: pro quibus:

Argues 1. Omnia adducta testimonia tum Scripturæ, tum Conciliorum, tum Sanctorum Patrum rectè explicari possunt de merito condigno, & non de congruo; siquidem de illo, & non de isto videntur Sancti Patres differuisse; quia cum merito congruo componitur gratuita donatio; sic enim justificatio dicitur gratiosa, licet dispositioni congruæ respondeat; & non ita componitur cum merito condigno; ergo Sancti Patres & Concilia solum volebant excludere ab operibus viribus naturæ elicitis

elicitis meritum condignum, non verò congruum. Respondeo negando antecedens; talis enim explicatio, licentiam faceret, impunè asserendi, posse hominem suis viribus absque gratia Dei sufficienter ad fidem, & ad justificationem disponi, quod nihilo differt ad errorem Semipelagianorum.

139. Probatur primò, quia Semipelagiani solum contendebant tribuere facultati naturali aliquod meriti genus præscindens à congruo, & condigno, quod præberet initium nostræ justificationi, aut fidei; idèdque eorum asserta aliquando solum congruum, aliquando solum condignum meritum comprehendebant, ut docent multi apud P. Ripal. *tomo 1. d. 15. num. 16.* ergo nisi omne meritum viribus naturæ elicited, tam congruum, quam condignum everterent Sancti Patres, indemnem relinquerent Semipelagianorum doctrinam.

140. Secundò, quia illudmet meritum ante gratiam, & fidem colligunt SS. Patres ex doctrina Semipelagianorum, quod ipsi Sancti Patres adscribunt fidei post gratiam; sed meritum fidei elicited ex gratia ab homine infideli, aut peccatore, omnium quidem catholicè sententium iudicio, non est condignum, sed congruum; ergo hoc, & non illud ex doctrina Semipelagianorum determinatè, & necessariò deprehenditur. Consequentia est legitima: Minor à nullo Theologo negatur: Major est expressa D. Aug. *lib. de Prædest. Sanctior. cap. 2.* & D. Prosper. *cap. 6. contr. Collatorem.*

141. Tertiò, quia Sancti Patres illud meritum operis præcedentis gratiam evertere contendebant, quod operi conveniret, si à gratia procederet; idèdque si Semipelagiani faterentur, initium fidei, & voluntatem credendi procedere à gratia, sicut ipsam fidem, & ejus augmentum, nulla cum illis esset D. Aug. & D. Prosper. contentio; sed cum eis erat disputatio de gratia auxiliante, & non justificante, operi autem procedenti à gratia auxiliante solum conveniret meritum de congruo; ergo de hoc erat cum illis disputatio.

142. Quartò, quia Pelagiani, & Semipelagiani objicientes sibi, dari gratiam gratis, & non secundum merita, ne à Patribus damnarentur, recurrerant ad initialem gratiam naturæ, constitutam in ipsius creatione prævertente omnia merita; atqui si gratia à Patribus contenta, & disputata posset componi cum merito de congruo, non esset, cur ad salvandam absolutè gratiam cogerentur recurrere ad primam creationis gratiam, cum faciliùs se possent tueri, si dicerent ab ipsis non concedi facultati, & viribus naturæ initium gratiæ condignum, sed congruum; ergo gratia Catholica ita gratiosè donata exquirebatur à SS. Patribus, ut facultate, & viribus naturæ neque meritum congruum præiret, & antecederet.

143. Quintò, quia Semipelagiani id volebant, ut fides & gratia adjungeretur nostris conatibus, & desideriiis, ratioque salutis unius præ alio, ut refert D. Hilarius. *epist. ad Aug. Non in incertum voluntatis Dei deduceretur, sed in quaecumque initium nostræ voluntatis:* aut ut refert D. Prosper. *Idèd accipiat, idèd inveniat, idèd introeat, quia petendo, quarendo, impulsando, bono naturæ bene usus est;* atqui si semel concederetur Semipelagianis meritum congruum naturæ, certè gratia, fides, & salus hominis non deducebatur in incertum Voluntatis Dei, sed in aliquale initium voluntatis humanæ, verumque esset, idèd hominem accipere, invenire, & introire, quia facultate, & viribus naturæ quæsit, petiit, &

pulsavit, ut arguere est ex gratia justificante collata operibus elicited ex gratia, solumque meritorius de congruo; ergo &c.

Sextò, quia Sancti Patres, si attentè legantur, 144. etiam meritum congruum viribus naturæ elicited ante gratiam detestantur; siquidem D. Aug. *D. Prosper. D. Fulgent. D. Isidor. & alii supra adducti*, ut naturæ initium rejiciant, dicunt, naturam ante gratiam nihil habere, quod Deus muneribus compenset, sed solum quod supplicii castiget: inchoantem vocationem & gratiam in Dei secretissimam voluntatem revocandum: gratiam auxiliantem dari homini, ut bene agat, non quia bene aliquid egit; atqui si posset impunè defendi meritum congruum naturæ antecedenter ad gratiam, non esset, cur Sancti Patres ad tuendam gratiam confugerent in hæc asserta, quæ excludunt omne prorsus meritum naturæ præcurrens gratiam; ergo Sanctorum Patrum iudicio adversatur, qui Dei gratiam non ita gratiosè donatam affirmat, ut neque secundum meritum congruum naturæ tribuatur.

145. Instabis: Plura sunt, quæ gratiam simpliciter dictam cum merito de congruo, & impetratione componunt; ergo Sancti Patres possunt rectè intelligi de gratia non excludente meritum naturæ congruum. Probatur antecedens: Primò, quia donum perseverantiæ gratis datum asseritur à Sanctis Patribus; & tamen aliquando merito de congruo impetratur. Secundò, quia justificatio peccatoris omninò gratiosa dicitur; & tamen dependenter à congruà dispositione donatur. Tertiò, quia inter homines, quod donum conferatur ad petitionem donatarii, nō destruit rationem veræ donationis: & ut donatio dicatur antidotalis juxta sensum. *l. Aquilius, ff. de donat. non sufficit, præcessisse preces donatarii, neque etiam aliqua ejus obsequia, ut ex P. Molin. tract. 2. de just. & jur. d. 208. 238. 243. 244. 286. & 292. docet P. Ripal. tomo 1. d. 17. num. 20.* Quartò, quia quoties in contractu, etiam oneroso, non est æqualitas inter datum, & acceptum, ut si optimus equus vendatur decè argenteis, necessariò miscetur aliqua donatio; ergo &c. Confirmatur, quia his, & aliis similibus argumentis docent, rationem veræ gratiæ non destrui per meritum de congruo. *Vega lib. 2. in Trid. cap. 5. & 8. P. Less. Apolog. de grat. efficaci, cap. 10. num. 30. P. Soar. 1. part. lib. 12. de Prædest. cap. 2. num. 24. & cap. 6. num. 24. & apud illum P. Tolèr. in cap. 8. 11. ad Rom.*

146. Respondeo hæc omnia non adversari superiori doctrinæ à nobis traditæ; neque enim diximus, meritum de congruo destruere rationem gratiæ simpliciter, sed tantum destruere illam strictam, & specialem gratiam, quam Sancti Patres contra Semipelagianos exquisierunt; hæc autem non solum meritum condignum, sed etiam congruum procedens ex viribus naturæ, prorsus excludit, ut superius dicta manifestè convincunt. Undè libenter concedimus, gratiam in vero, & proprio sensu posse absolutè componi cum merito de congruo præcedenti, ut ex proximè adductis rationibus probant proximè cit. Doctores; negamus tamen, Sanctos Patres solam hanc rationem gratiæ voluisse salvare, cum potius salvare voluissent specialem illam, & strictam perfectionem gratiæ, quæ nullâ ratione à gratiæ perfectione declinet, & stare nequeat cum merito etiam de congruo. Unde:

147. Notabis, licet id, quod retribuitur ratione meriti congrui, ut tribuitur gratia justificans ratione contritionis, possit, & soleat appellari gratia, dubitari

bitari tamen non potest, quin aliquantulum detrahit perfectioni liberalitatis, & gratiæ, quod donum intuitu alicujus operis dispenseretur, perfectionemque, ac strictiorem gratiæ rationem convenire donationi, quæ nullo merito, etiam congruo præcedente confertur; sic enim D. Aug. *epist. 105. & lib. 83. qq. q. 68.* docet, gratiam justificantem, quæ peccatori confertur, non dari omnino gratis, quia præcedit fides, & dolor, cujus intuitu infunditur, licet absolute detur gratis, & sine merito condigno. Quando igitur Sancti Patres cum D. Paul. supra absolute dicunt, illud, quod intuitu operum confertur, non esse gratiam, loquuntur de hac strictissima gratia, quæ nulla ratione à perfectione gratiæ declinat, contententes ejusmodi esse illam, quæ Deus inchoat hominum salutem, & nullum supponit meritum etiam congruum, prout supra diximus, Et ex his patet quid dicendum ad probationes argumenti.

148.

Argues 2. Sancti Patres cum Semipelagianis contendebant de merito congruo tantum proximo, cui infallibiliter annexa est salus, & non de remoto impetrante auxilium actuale supernaturale ad eliciendos actus supernaturales proxime disponentes ad gratiam; ergo saltem hoc meritum de congruo remotum non excludebant ab operibus elicitis facultate naturæ. Probatur antecedens auctoritate Doctorum, qui docent, opera naturalia disponente positive, licet remote, ad nostram justificationem, merendo de congruo, saltem auxilia actualia supernaturalia ad eliciendos actus supernaturales proxime ad illam disponentes, ut docent Driedo *lib. de Concord. prædest. p. 2. cap. ult. & de Captivitat. tract. 5. cap. 2. p. 2. Decan. art. 7. contr. Calvinum. §. Doctores. Panthusa lib. de Prædest. & grat. cap. 6. Henric. Quodlib. 5. q. 20. ad medium. Conrad. contr. Heret. cap. 14. Viguer. in Justit. cap. 2. §. 3. vers. 1. sen. 2. Gerson. Alphab. 61. tr. 1. de vir. spirit. lect. 1. §. Fatendum. Ovand. in 4. dist. 15. proposit. 8. Alens. 3. q. 64. memb. 5. art. 5. §. 2. Caiet. 1. 2. q. 109. art. 6. Sor. lib. 1. de Nat. & grat. cap. 20. & lib. 2. cap. 3. notab. 2. & ad 1. & cap. 12. dub. ult. & cap. 16. Richard. in 2. dist. 28. art. 1. q. 2. Egid. quodlib. 2. q. 29. Albert. in 2. dist. 29. art. 1. ad 2. & alii apud P. Ripal. cit. n. 3. ergo &c.*

149.

Respondeo negando antecedens: Primò, quia Sancti Patres detestantur, non solum meritum ad perficiendam justificationem, sed ad illam incipientiam, & inchoandam, desiderando, petendo, aut aliqua ratione querendo, quin ferant, ullum naturæ conatum præcedere auxilium gratiæ divinæ; atqui negari non potest, meritum remotum gratiæ esse aliquod initium nostræ justificationis, seriem illius constituens, desiderando, petendo, aut aliqua ratione conando in salutem; ergo hoc etiam meritum remotum detestantur Sancti Patres. Secundò, quia meritum remotum nostræ justificationis intelligitur ab his Doctoribus, ut supponimus, opus illud, quod proxime impetrat auxilium gratiæ ad actus proxime disponentes ad illam; atqui Sancti Patres manifestè rejiciebant meritum proximum naturæ ad impetrandum auxilium gratiæ necessarium ad fidem, humilitatem, contritionem, & similes, ut planum fiet eorum testimonia legenti; ergo ex Patrum judicio etiam hoc meritum remotum gratiæ justificantis rejiciendum est ab Scholis Catholicorum. Ad probationem ex auctoritate Doctorum dicendum est, prædictos Doctores locutos fuisse de dispositione tantum negativa removens peccatum prohibens, ut illos interpretantur P. Soar. *lib. 3. de Auxiliis cap. 2. n. 3.*

Illustrissimus Mascarenas d. 1. de Auxil. Zamel. 1. 2. q. 109. art. 6. d. unica. Lora de grat. d. 11. & Vinsfeldius de liber. arbit. & grat. sect. 3. memb. 7. conclus. 7. apud P. Ripal. cit. n. 3.

Argues 3. ex Massiliensibus illud Matth. 25. 14. *Unde dicit, ait, quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem;* Ubi Christus Dominus proponit, dona supernaturalia gratiæ unicuique distribui secundum propriam virtutem, id est, secundum opera naturalia virtutum moralium; ergo hæc habent meritum, cujus intuitu supernaturalia conferantur. Respondeo hujusmodi parabolam plures explicationes admittere. Prima est, Christum Dominum verba illa secundum propriam virtutem exhibuisse, non ad aliquid applicandum Deo donorum distributori, sed solum ad explendam parabolæ narrationem ex hominum consuetudine desumptam. Ita P. Maldon. & P. Vafq. 1. p. d. 91. cap. 18.

Secunda est, per talenta ibi intelligi bona naturalia; hæc autem juxta cujusque meritum dispensari possunt. Tertia est, per talenta intelligi dona supernaturalia, in aliorum tamen salutem destinata, quæ ad sui ministerium naturæ capacitatem, & virtutem desiderant, ut prædicatio, Apostolatus, prælatio, & alia id genus. Ita D. Hier. Origen. Justin. Chrysost. & Theophylact. apud P. Maldon. Quarta est, per talenta intelligi gratiæ justificantis dona supernaturalia, quæ juxta meritum supernaturale absolute prævisum distribuuntur à Deo; siquidem meritum supernaturale ratione immediatæ cooperationis liberi arbitrii, jure dicitur pertinere ad propriam cujusque virtutem. Ita P. Vafq. P. Maldon. cit. P. Salmeron. tom. tr. art. 39. n. 9. Carthagen. discurs. 10. ad 2. cum D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 3.

Quinta est per propriam virtutem intelligi naturalem facultatem ad opera externa virtutum moralium, in quibus actus interni exercentur; siquidem Deus juxta potestatem opportunam exercendi opera virtutum externa, pulsant auxiliiis internis hominum corda ad eorum affectus absolutos; sic enim plures vocationes ad affectus misericordie exhibet diviti, quam pauperi. Sexta mihi probabilior, etsi non omnino certa, est, per propriam virtutem intelligi, Deum conferre auxilia gratiæ supernaturalia secundum virtutem naturalem prævisam; siquidem lege sua stabilivit excitare auxiliis supernaturalibus voluntatem ad eos virtutum actus supernaturales, ad quorum similes juxta causarum naturalium ordinem excitanda erit cogitationibus naturalibus, ut ita suavis ordo providentiæ supernaturalis sequatur ordinem providentiæ naturalis juxta cursum naturalem hujus universi.

Neque ex hac ratione sequitur, Deum spectare merita naturalia ad distributionem donorum supernaturalium, sed tantum virtutem naturalem voluntatis, quæ ex cogitationibus, & affectibus naturalibus complenda est, ut eorum conditioni, & materiæ accomodet illustrationes, & affectiones supernaturales. Et in hunc sensum adduci potest. D. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. ad locum Matt. cit. *Unicuique, inquit, secundum propriam virtutem, hoc est, secundum propriam, & naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum, quia aliud est posse operari, aliud operari.* Ita P. Rip. cit. n. 27.

Argues 4. In cujusque potestate est consequi salutem; sed non ita esset, si proprio merito, aut dispositioni non esset annexum initium, seu primum auxilium salutis; alioqui talis gratia, consequenterque ipsa salus in hominis potestate non est constituta. Respondeo negando minorem; in cujusque

cujusque enim potestate est salvari, non quia aliqua auxilia gratiæ annexa sint merito naturæ, sed quia cujusque voluntati Deus providet independenter à suo merito propter merita Christi, & legem elevationis supernaturalis auxilia sufficientia, quibus ad suam iustificationem disponi, & vitam æternam dignis meritis consequi possit. Et hoc argumentum præoccupavit Concil. Senon. can. 15. ibi: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum ipsa semper sit in promptu, neque momentum quidem prætereant, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum.*

155. Argues 5. Ex illo A&T. 10. 34. Non est personarum acceptor Deus; ergo aliquod meritum ex parte naturæ expectat Deus, ut conferat auxilia gratiæ potius uni, quam alteri. Respondeo negando consequentiam; neque in hoc est Deus personarum acceptor: Primò, quia non est vitium acceptationis personarum, nisi ubi est obligatio iustitiæ; solus enim qui tenetur omnibus dare, & uni dat potius, quam alteri, censetur acceptor personarum: at verò Deus, cum non teneatur ex iustitia dare auxilia supernaturalia gratiæ, nullam ei, cui illa negat, injuriam facit, sicque non potest dici personarum acceptor.

156. Secundò, quia Deus omnibus, etiam gentilibus, providet auxilia sufficientia gratiæ quibus salutem, & eximia quæque dona meritis suis consequantur, ut jam alibi diximus tom. 1. tract. 2. de Prædest. si autem aliis efficacia, aliis verò inefficacia donat, non est cur iustè homines conquærantur: tum quia in libero arbitrio cujusque est, suam gratiam reddere efficacem: tum etiam, quia Deus est Dominus suorum donorum, qui, provisus unicuique omnibus necessariis, potest pro libito, quibus placuerit, uberiora, aut excellentiora auxilia largiri.

SECTIO VIII.

Alia argumenta proposita, & soluta.

157.  Argues 6. cum Catholicis: Natura suis viribus præparat subiectum ad formam, quæ à solo Deo in subiectum potest induci, nempe ad introductionem animæ rationalis; ergo etiam poterit præparare animam ad gratiam iustificantem, quæ à solo Deo potest infundi. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia anima rationalis est forma naturalis, cujus exigentia non repugnat naturæ: at verò gratia est forma supernaturalis, cujus exigentia est supra naturæ conditionem. Undè repugnantia, ut malè putavit Durand. cit. non est in eo, quod dispositio ad formam non possit provenire ab alio agente, quam ab inducente formam in subiectum.

158. Argues 7. Illa opera possunt congruenter, sive de congruo mereri gratiam, quæ habent ad illam ordinem immediatum; sed hunc habent ad gratiam opera virtutum naturalium; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam hic ordo naturalis non potest esse sine connexionem, & exigentia gratiæ: hæc autem connexio, & exigentia repugnat entibus naturalibus.

159. Argues 8. Attritio naturalis ex motivo, & cogitatione naturali cum Sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ confert gratiam; siquidem non est credibile, damnari eum, qui quantum est ex se attritus accessit ad Sacramentum, & statim mortuus est;

Tom. 2.

sed attritio in Sacramento est impetratoria gratiæ ex Trid. sess. 14. cap. 4. ergo actus naturalis potest gratiam impetrare. Respondeo primo, admittam majori cum Sot. in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. & lib. 2. de Nat. & grat. cap. 3. fine. Can. Releat. de Penit. Victor. sum. q. 110. alias 121. Vega in Trid. cap. 17. lib. 6. ad 20. & lib. 13. cap. 15. & pluribus aliis Thomistis, & negando consequentiam quoad alios actus naturales; diversa ratio est, ut dicunt, quia Sacramenta sunt opera privilegiata, sicque valentia ex institutione divina supplere supernaturalitatem dispositionis requisitæ ad iustificationem. Hæc tamen doctrina in re adeò gravi est nimis arbitraria, eandemque censuram meretur, quam doctrina Durandi, de qua P. Soar. lib. 2. de Prædest. num. 11. & tom. 4. in 3. part. d. 2. sect. 2. & d. 8. sect. 6. & nos alibi. Igitur.

Respondeo secundò negando majorem, & ad insinuatam probationem dicimus, nullum accedere ad Sacramentum cum attritione omnino naturali; aut quia Deus lege providentiæ supernaturalis tenetur prævenire voluntatem auxiliis supernaturalibus, etiam ad attritionem naturalem; aut quia non potest homo tunc attritionem naturalem sine supernaturali habere; nam si fecerit quantum in se est, ut disponatur ad Sacramentum ritè suscipiendum, Deus non illi negabit auxilium supernaturale ad attritionem supernaturalem, de qua loquitur Trid. cit. quatenus definit, attritionem dilponentem ad iustificationem fieri ex dono, & auxilio Spiritus sancti.

Argues 9. Deus providit auxilia sufficientia ad salutem omnibus hominibus, etiam infidelibus, sicque eis contulit potestatem, saltem remotam credendi per fidem supernaturalem, sine qua impossibilis est salus; sed huiusmodi potestas remota supponit necessariò potestatem consequendi auxilia proxima ad talem fidem necessaria per actus naturales; ergo his in gentilibus competit vis impetratoria gratiæ supernaturalis. Respondeo Deum etiam gentilibus tribuere auxilia gratiæ intrinsecè supernaturalia ante omne meritum provisæ, quibus elicere possunt virtutum actus supernaturales præparantes hominem ad fidem supernaturalem, & iustificationem, prout alibi diximus tom. 1. tract. 2. de Prædest. & latè ostendit P. Ripal. tom. 2. d. 20. à sect. 12. ex Scriptura, & Sanctis Patribus.

Argues 10. Major est excessus unionis Hypostaticæ supra actum supernaturalem puri hominis, quam auxilii supernaturalis fidei supra actum naturalem dilectionis Dei; siquidem excessus ille est infinitus, iste verò finitus; sed actus supernaturalis puræ creaturæ, nempe Beatissimæ Virginis, & Antiquorum Patrum potuerunt mereri de congruo substantiam unionis Hypostaticæ, & de facto ejus accelerationem meruerunt, ut plures sentiunt Theologi; ergo etiam actus naturalis poterit mereri de congruo aliquod donum, sive auxilium supernaturale fidei. Respondeo distinguendo majorem: major est ille excessus, quam iste quoad perfectionem entitativam; concedo majorem: quoad proportionem requisitam ad meritum; nego majorem.

Et huius diversitatis ratio est, quia Unio Hypostatica, licet in nobilitate, & perfectione entitativa longè distet ab actu supernaturali puri hominis iusti, cum tamen utraque entitas sit in eodem ordine supernaturali, sicut Unio non manet supra omnem exigentiam actus supernaturalis, ita neque supra omnem ejus proportionem, saltem imperfectam ad meritum de congruo sufficientem:

O o o

at